

Nec sanè alio consilio excitatus videtur à Deo vir tantus, nisi ut solvendæ captivitatis, adventus Messæ, & vocationis gentium spem afflictis mortalibus faceret.

Ceteri Prophetarum serè omnes nullo alio argumento de veritate missionis suæ persuadere poterant, quàm quòd Oraculorum suorum fidem ab eventu peterent. Isaias, præter hæc omnia, prodigia patrandi virtute, qua plurimum fulciebat Oracula sua, præstabat. Ita & valetudinem à morbo prædicat Ezechia, simulque promissis sua fides stetit; neque his contentus, prodigium altero prodigio de retrogradatione solis, sive ejus umbræ cumlavit. Nec sanè poterat aliter cum viro agi, quàm ut sua Oracula, ab eventu, post plura demum sæcula sperando, pendentia, prodigiorum argumento stabiliret. Qui enim eà vi destitutus, auditoribus veritatem vaticiniorum, quæ ipsi minimè visuri essent impleta, persuasisset; uti Redemptorem è Virgine oriturum, Babylonicam Captivitatem, ex eaque regressum &c?

Præter vaticinia sua, quæ supersunt, Librum scripsit Isaias de Gestis Ozia in 2. Par. 26. 22. laudatum. Origenes in Math. 23. & Epist. ad Afric. S. Hieronymus in Is. 64. Epiphanius hæresi 40. & 67. Librum quendam commemorant inscriptum: *Ascensio Isaiæ*; nec dissimilis tituli Librum apocryphum vulgatum scimus Venetiis, sub nomine: *Viso Isaiæ* (e). Commune est enim omnium sæculorum fatum, ut magnis Viris assignantur opera tantis nominibus indigna, quibus scilicet Operi alioqui spernendo auctoritas concilietur. Apud Judæos quosdam author reputatur Proverbiorum, Ecclesiastæ, Cantici Canticorum, & Libri Job; sed Ecclesiæ auctoritas nil viro imponit, nisi quod inscriptum ejus nomine habemus, opus Propheticum.

Vit est S. Hieronymo omnium Prophe-

tarum tum ingenio, cum eloquii puritate præstantissimus. *Quid loquar, addit ille, de Physica, Ethica, & Theologia? quidquid Sacrarum est Scripturarum, quidquid potest humana lingua proferre, & mortali sensus accipere, hoc volumine continetur.* Ita ille Præfat. in Isa. Cujus nobilissimo de Viri eloquentia judicio, gemini accedunt doctissimi quique nostræ ætatis Critici. Grotius in 4. Reg. 19. 2. Ita de illo: *Huic ego Græcorum Demosthenem comparo. Puritas Hebraismi in Isaiâ, Atticis in Demosthene. Magnificus dicendi character, frequentia schemata, & maximè deusis illa, rebus indignis, asperis, invidiosis vim addens. Sed Isaiam etiam natalium dignitas, & regia affinitas ornabant.* Quadrant in eum virum, quæ de Messalla Corvino Quintilianus l. 10. c. 1. Nitidus & candidus, & quodammodo præferens in dicendo nobilitatem suam. Sanctius in Il. Prolegom. deprehendisse sibi videtur in viro stilum ornatiorem, nitidioremque, cæteroquæ autem majori pollentem gravitate & auctoritate, quàm in alio unquam, qui nostrâ ætate superstit, Historico, Poetâ & Oratore. Nunquam alibi invenies plus varietatis & nobilitatis, atque paræ argumento dignitatis. Is est tandem in omni sermonis genere, qualis neque Græcus, neque Latinus nemo usquam.

Versio Græca Isaiæ in nostris Bibliis plurimum discrepat ab Hebræo. Quæ vertendi libertas unde nam Interpreti permitteretur, incertum. Frustrâ autem effemas, si omnes inter hæc duo Exemplaria variantes recensendas assumeremus, cum nimis longè à nostro argumento abducti, Lectorem detineremus nimis distractum à serie expositionis literalis & historica, unice à nobis propositâ. Vide, si lubet, eà de re Leonem à Castro.

c. Vido Sixt. Senens. Bibl. Sacr. in Isai.

CON-



CONSPECTUS

HISTORIÆ PROPHANÆ ORIENTALIS
à Salomone ad Captivitatem Babylonicam,
ad illustrandam historiam Hebraicam
in Prophetis expressam.

Prophetarum studium arduum efficit maximè imperitia, qua laboramus, historiæ earum gentium, quibuscum Hebræis commercium, sicut & illæ, quibus offundimur, tenebræ in nomina, tempora & res gestas in Scriptis Prophetis expressa. Toto eo spatio ab Abrahamo ad Davidem usque excurrente, omnia plana sunt in historia Hebræorum, quippe quæ res gestas unius gentis contineat, nullo adhuc commercio cum cæteris per orbem nationibus junctæ. Nihil hic operis locandum in concilianda historia sacra cum Prophana, quæ sanè tam remotam antiquitatem non vindicat. Frustrâ quis apud Græcos & Romanos historias quærat expeditionis Amraphelis Regis Sennar, & Arioch Regis Ellasar, Codorla-homor Regis Elam, Thadal Regis Gentium, susceptæ in Reges Sodomæ & Gomorrhæ, aliosque Pentapolis Principes foederatos. Nec sapientior efficeris, si apud illos scruteris Imperium, & Monarchiam. Nemrod, cæterorumque post ipsum, sicut & subactæ ab Hebræis Chanaanitis, & regionis Amorrhæorum, quorum Reges magno sanè numero ii trucidarunt.

Occurrit apud Judices *Chusan Rasathaim* Rex Mesopotamiæ, de quo ne vestigium quidem apud Veteres. Nec sanè magis nota apud illos Regna Idumææ, Philisthæorum, Amalecitarum, Madianitarum, Moabitarum & Ammonitarum. Quanquam autem ignota essent apud illos, Regna tamen erant florentissima, negociorum commercio cum Hebræis juncta. Sed, dicam iterum, eo Prophanorum silentio factum est, ut studium veteris Historiæ difficultatibus expeditum multò sit pronius; quare totum negocium ad recentiorum ætatem reducitur.

David & Salomon Reges, quæ rerum gestarum gloriâ, quæ Regni amplitudine potentissimi, in historia tamen externa tantum non ignorantur. In historia quatuor summorum Imperiorum, nempe Assyriorum, Medorum, Persarum, & Chaldæorum, nullus illis locus, quamquam alioqui & amplitudine & potentia debitus, assignatur. Davide rerum potente, Syriam dimidiato imperio te-

nebant Adarezer Rex Damasci, & Thou Rex Emath, quorum primum tributarium Hebræis, alterum foederatum ipse sibi David adjunxit (p). Neque hæc tantum; sed prorogatis ultra Euphratem Regni finibus (q), Ægyptum & Phœniciam quietos sibi populos, potentiam suam vereri coegit, cæterasque omnes finitimas gentes suo adiecit Imperio. Paternæ ditiosis fines Salomon non servavit tantum, sed multum etiam victoriis provexit (r). Quid tunc vastum illud Assyriorum Imperium, aded ab amplitudine & potentia celebratum? An fortè tanti hujus Regni potentia tota colligebatur in Amraphel Rege Sennar, sive Babylonis, Arioch Rege Ellasar, Codorla-homor Rege Elamitarum, de quibus Gen. 14. & Chusan-Rasathaim Rege Mesopotamiæ, de quo Judic. 3. 8. ? Toto à Nemrod usque ad Manahem Regem Israel intervallo (s), ex Assyriæ Regibus ne unus quidem Regis Assyriæ nomen legitur in Scriptura. Noti deinde sunt Teglatphalassar, Salmanasar, Sennacherib, & Assaradon; sicut & Merodach Baladan Rex Babylonis sub Ezechia (t). Successit post hæc omnia Nabuchodonosor, in Libris Sacris celebris, & Prophanis non ignotus. Post Nabuchodonosorem, ordine regnarunt Evilmerodach, Balthasar, Darius Medus, Cyrus, & Persæ. Ita planè totum schema florentissimorum Imperiorum in S. Scriptura exhibetur.

Quod ad Ægyptios attinet, quanquam remotissimam sine controversia vindicant Imperii sui antiquitatem, prima tamen ejus crepundia tenebris aded sunt obvoluta, ut ne discerni quidem possint. Impunè omnes in eorum Dynastias inferre manum, fugque eos voluntati obsequentes reddere permittuntur. Sefac omnium Regum Ægyptiorum primus arma in Judæam intulit, susceptâ in Roboamum filium Salomonis expeditione (u). Longo post tempore Phæro Necho bello Josiam fregit (x); tandem Hophre, idem vir qui apud Prophanos *Apries*, adversus arma Nabuchodonosoris Jerusalem suppeditas laturus veniens, prelio victus recessit (y). Nihil ultra in Historia Sacra de florentissimo illo

p 2. Reg. 8. 5.
9. &c.

q 2. Reg. 8. 3.
& 3. Reg. 10.
16. Ps. 59.

r 3. Reg. 4. 24.
& 9. 17. &c.

s 4. Reg. 15.
19.

t 4. Reg. 20.
11. 12.

u 3. Reg. 14.
25.

x 4. Reg. 23.
29.

y Jer. 44. 30.
illo

V v v 2

Dissert. Calmet. Tom. I.

illo Regno; quæ sanè minora sunt, quàm satis explicandis Prophetis adjumenti ex ea suppetere nobis censeamus. Quare alibi quærenda sunt ea, quæ in obscuro versantur, ut per rectum veritatis tramitem tutius deducant.

Post bipartitam Hebræorum Monarchiam, quam primus David constituens & regens, integram deinde Salomoni filio tradidit, de florentius illius Imperii gloria plurimum detractum est. Stetit tamen aliquandiu, donec semper in deterius prolabens, armis tandem Regum Assyriorum, & Babyloniarum cedere coacta est. Gemina hæc florentissima Imperia, accedentibus etiam pro suo jure Ægyptiis, & Syris, diutius inter se de regionis illius possessione disputarunt. Reges Damasci nunquam ab affligendis, infestandisque Regibus Israel, & Juda cessarunt; quibus cum se impares nocerent Hebræi, arma pro se Regum trans Euphratem appellarunt. Consilium illud utrique perniciosum cessit, Syris nempe, & Hebræis; illi enim victi in dominium victoris concesserunt, Hebræi verò ab armis Regis Damasci liberati, ipsos libertatis assertores graviore hostibus in se experti, dominatores pati coacti sunt. Etenim post oppressam gentem immodicis vestigalibus, illorum libertatem servitute commutarunt, coactosque loco cedere, in regionem Trans-euphratæam identidem transfulerunt.

Ditionem Judaicam Ægyptii primò sub Roboamo ingressi sunt, ingentique ditissimaque prædâ relatâ, victores deinde in suam regionem sese receperunt. Venerunt iterum sub Josia, cum scilicet Nechao exercitum ad Euphratem ducens, transfutum à Josia Rege Juda rogavit, prohibituque arma in Judæos intulit eo successu, ut ipsum Regem Josiam commisso prælio necaverit (z). Hujus victoriæ jure subjectam sibi Judæam omnem possidere Ægyptius autumavit; quare rerum se in seipso potitum Joachaz veniens à Regno amovit, secumque in Ægyptum adduxit (a). Eius loco suprema potestas in Joakimum ab Ægyptio collata est, oneratâ prius regione tributo 100. talentorum argenti, adjecto auri talento. Nec tamen diutius Ægyptii Judæam tenuerunt; namque Nabuchodonosor Rex Babylonis armis in eam Regionem ingressus, totam subjecit, ampliori Ægyptiorum ditione ad angustiores terminos redactâ [b]. Tentarunt deinde Ægyptii, ut præscriptos sibi à victore fines pervaderent, junctisque cum Regibus Juda armis, in Babylonios moverunt; sed frustra illi, quin & graviora in se Regis illius arma experti, colla submittere Ægyptii, Judæi verò Regni sedem Jerosolymam tradere, atque à patrio solo vertentes, in Trans-euphratæa fecedere coacti sunt.

Ita inter se de imperio Palestinæ potentissimis illis Regibus decertantibus, mutuas simultates Reges Israel, & Juda exercebant; concurrebant etiam aliquando Reges illi cum Philisthæis, Idumæis, Ammonitis, & Moabitibus. Quibus veluti crebris le-

vibusque visitationibus vires utriusque partis etiam atque etiam affligebantur, ut faciliorem moventibus in regionem illam victoriam tandem præbuerint. Sed eâ de re integram dabimus dissertationem ante duodecim Minores Prophetas.

Hæc de universa Hebræorum historia, attingere visum est nobis, sub uno veluti conspectu exhibentibus rei gestæ seriem à Davide usque ad captivitatem Babylonicam, simul ostendentibus, quid fuerit hujus gentis cum aliis Regnis affinitatis. Sed fusiùs singula prosequamur oportet; quare post relatam prophanorum Authorum historiam, simul jungemus ea, quæ apud sacros Authores, sicut etiam apud Prophetas, leguntur. Plura namque apud hosce postremos succurrunt, frustra alibi querenda, quippe qui non intra Judaicæ ditionis fines tantummodo Prophetam agere sustinerunt, sed aliarum etiam gentium futuros eventus prævidentes, annunciantes illos aggressi sunt. Id maxime spectatur in Jeremia, è multiplici Oraculorum ad gentes spectantium varietate, Proprietâ gentium jure meritoque nuncupato.

S. I.

Imperium Assyriorum.

Constitutum à Nino filio Beli Assyriorum Imperium in Asia majori duravit, auctore Herodoto lib. 1. cap. 95. spatio 520. annorum. Ninus Regnum habuit, sive juxta nonnullos (c) 52. annos, sive juxta alios 17. tantummodo (d); quo temporis intervallo dilata eo auctore pomeria, atque magnificentius ornata urbs Ninive, diu ante operâ Nemrod (e) constructa. Uferius componit Nini exordia eum A. M. 2737. sub Judicibus Debora & Barach.

Vacuum obitu Nini Regnum Semiramis ejus uxor adiens 42. annis tenuit, femina aucto Imperio Assyriorum, quod florentissimum Ninie filio reliquit, illustris. Hujus aliqui celebratissimæ Monarchiæ, Nini, & Semiramidis, cæterorumque post ipsos, ne verbum quidem in Sacra Scriptura, nisi cum sub Propheta Jona Regem quemdam Assyriæ, sed suppresso nomine, meminit (f). Porro ibi Urbs Ninive exhibetur amplitudine florentissima, cui nihil deerat ad delicias, & voluptates. Accidit tamen, ut Jonâ ad pœnitudinem de criminibus voluptuosum populum revocante, Rex insignibus dignitatis suæ depositis, atque sacco indutus, sua & cæterorum scelera cineri insidens lugeret, indicto omnibus jejuniis tam hominibus quam jumentis. Principis exemplum cæteris secutis, Deus tot lacrymis flexus imminenti in ipsos flagello abstulit. Legitur etiam alter Rex Ninive, nomine Pbul, sub Manahem Rege Israel, 50. circiter annis post Jonam. Is igitur ditionem Israeliticam ingressus (g), ut suis partibus faveret à Manahem collatis 1000. talentis argenti invitatus est. Ad illum spectant verba

c Jul. Afric. & Euseb. d Diod. 1.2. Dionys. Halic. car. hist. Rom. initio. e Genes. 10. 9. 10.

f Jona 1. 3. Florebat Jona sub Regibus Ozia Rege Juda & Jeroboamo II. Rege Israel circa A. M. 3180.

g 4. Reg. 15. 19. & 1. Par. 5. 26. Osee

z 4. Reg. 23.

a 4. Reg. 23. 30. 31.

b 4. Reg. 24. 6. 7.

Osee 5. 13. Et vidit Ephraim languorem suum; & abiit ad Assur, & misit ad Regem ultorem. Suspicantur nonnulli, Pbul sive cum Patre Sardanapali, sive cum eodem ipso Sardanapalo, veteribus Scriptoribus notissimo, confundendum. Fatemur quidem, Patrem hujus Regis Anacindaxarem sive Anabaxarem appellari Athenæo lib. 12. cap. 7. sed non unum fuisse ejus gentis vetustissimis Regibus nomen, simulque externa virorum nomina miserè à Grecis corrupta, constat.

Auctis in immensum Ninivitarum criminibus sub Sardanapalo, Deus ejusdem gentis adversarios in illos armavit. Arbaces Mediæ Præfectus (h), indignè ferens Principem in intimis aula recessibus voluptatibus tabescentem, fœdere inito cum Belesi Præfecto Babyloniæ, ambo excutiendi fœdissimi jugi consilium susceperunt. Quare ingenti comparato exercitu, Ninivem arcâ obsidione prementes, in eas angustias miserum Principem redegerunt, ut uno eodemque loco divitias suas omnes, Regium Palatium, ac se tandem concremaret (i). Diviso igitur inter Arbacem & Belesim Imperio, illi cessit Media, quam liberam pronunciauit, huic Babylon, ubi 14. annis regnavit. Ninivem permiserunt Nino Juniori, veterum Assyriæ Regum heredi, qui præse gloriam non indignè sustinuit. Ita factum est, ut è reliquis veteris Monarchiæ Assyriorum tria formarentur Imperia, nempe Ninive, Babyloniis, & Medorum. De singulis impressentiarum agendum est, ut quæque rerum eum Judæis societatem aliquam habuerunt.

Belesis apud Isaiam 39. 1. & 4. Reg. 20. 12. Baladan, apud Prophanos Nabonassar (k), constituto Babyloniæ Imperio sedem Regni habuit Babylonem urbem diu antea ab Assyriis constructam (l). Merodach Baladan, filius sive nepos Belesis, consuetudine jundus videtur cum Ezechia Rege Juda, quocum de obtenta prodigio valetudine gratulatum Legatos misit (m). De cæteris Babyloniæ Regibus usque ad Assaradonem ne verbum quidem ultra in S. Scriptura.

Ninus junior, qui labentem Assyriæ, & Ninive Monarchiam sustinere permixsus est, in Scriptura appellatur Teglatphalassar [n]. Imperium habuisse videtur toto Oriente celebratissimum, cum Ezechias Rex Juda suppetias imploraturus contra Rafim Regem Damasci, & Phacee Regem Juda, non alterum quàm illum Regem adivit. Venit illic, adductoque ipse per se in Damascum exercitu, urbem delevit, Regem occidit, incolasque omnes ultra Euphratem deduxit, ac tandem Regni Damasceni sive Syriaci nomen ipsum extinxit. Veris deinde armis in ditionem Phacee Regis Israel, prælio victum parte subjeclarum Tribuum deductâ in Trans-euphratæam privavit. Jure dein victoriæ versus in Achaz, quo provocante in finitimos Judææ Reges armaverat, ut armis ab ipso parceret, concessâ Sacri Aërarii prædâ tantum impetratum est. Vestigalis igitur Achaz Assyriis mansit; quod aniam dedit subinde Assyriis, ut in Judæam inde venientes, paulatim prius & per partes, ac universam tandem everterent.

Salmanasar rerum potius post Teglatphalassar in Syriam veniens A. M. 3280. Moabitidem delolavit, juxta vaticinium, ante triennium ab Isaiâ 16. 1. factum. Secundum hæc, Syriam obsidens, triennii patientiâ tandem expugnavit; eaque obtentâ victoriâ, reliquas Tribus in Trans-euphratæam traduxit (o). Is exitus Regni Israel anno 3283. Ne eodem fato Ezechias Rex Juda obvolveretur, singulari Dei providentiâ factum est; quamquam non ita ejus injurias evasit, quin vestigalibus pendendis Salmanasari, quemadmodum Achaz decessori, cogeret. Ita redux Salmanasar victorem exercitum Ninive reduxit.

Sed vix depositis armis, novam iterum expeditionem in Palestinam suscepit, ferendis suppetiis populis Gitthæis ab Elulgo Rege Tyri oppressis (p). Porro Gitthæos ipsos esse Cyprios Scaliger arbitratur; vel Philisthæi sunt, & maxime Gethæi, ut Uferio magis probatur ad An. 3287. Vicit pariter Phœnices: quibus rebus compositis Ninive tandem quievit.

Paulò post plurimis maritimis Urbibus, excusâ Tyrionum dominatione, ad Assyrios rebellantibus, ut novos subditos Salmanasar sustineret, accepta ab illis classe 60. sive 70. navium, instructâ 800. nautis Phœniciis, cum Tyriis 12. Naves ducentibus prælium iniit; à quibus victus dissipatusque, in potestate hostium 500. suorum captivos reliquit. Quare temperavit quidem à suscipienda Tyri obsidione, sed dispositis ad fontes militibus, aquâ prohibere cives conatus est. Eluserunt Regis conatus Tyrii, effossis in ipsa Urbe puteis. Hujus temporis sunt infausta illa Isaiâ in Tyrios vaticinia, in capite 23. relatâ. Ita verò turbatâ regione, Ezechias opportunum sibi duxit, ut arma in Philisthæos inferret, de quo bello lege 4. Reg. 18. 8. & Joseph. Antiq. 1. 9. cap. penult.

Sennacherib rerum post Salmanasarem potius, bellum in Asiam universam, & Ægyptum intulit (p); quo ita occupato, uti facile credimus, Ezechias excutiendi jugum Assyriorum, ac denegandi Sennacheribo vestigalia occasionem captavit. Quid autem Assyriorum arma facilius sustineret, fœdus iniivisse in communem hostem cum Regibus Ægypti, & Chus in Scriptura insinuat (q). Venit igitur in Judæam Sennacherib; occupatisque præcipuis ejus regionis Urbibus (r), & facile in itinere Damasco subactâ (s), ab obsidione quidem Jerusalem temperandum duxit, ratus malum ab ipsa radice exterminandum. Quare omnem Ezechia sperandi aniam præcisurus, redigendis in ordinem Ægyptiis arma convertit. Id bellum triennio occupavit Assyrios, juxta Berosum apud Joseph. Antiq. 1. 10. cap. 1. quo temporis intervallo Ezechias muniendâ Urbi, ut diuturnæ obsidioni par esset, nihil reliquum fecit (t). Post triennium Sennacherib, ducto ex Ægypto in Judæam exerc-

k Vide Ache-naum ibidem.

i Vide Ctesiam, & Ufer. ad A. M. 3254.

k Hipparch. Ptolem. Geog. 1. Isai. 23. 13.

m 4. Reg. 20. 22.

n 4. Reg. 15. 29. & 16. 7. 10. & 1. Par. 10. 6. & 2. Par. 18. 20.

o 4. Reg. 17. 3. & 18. 11.

p Vide Menand. apud Joseph. Antiq. 1. 9.

q Berosus apud Joseph. Antiq. 1. 10. cap. 1.

r Isa. 30. 1. & 57. 9. 13. & 4. Reg. 19. 9. & 18. 24. s 1. 10. 18. 29. & 4. Reg. 18. 13. t Vide Comment. Isa. 17. 1.

u 2. Par. 32. 2.